τα πορίζεσθαι· ἀλλ᾽ οἷς ἂν οἱ ἄλλοι ἐργάζωνται, τούτοις σὺ χρήσῃ, ἐδενὸς ἀπεχόμενος ὅθεν ἂν δυνατὸν ᾖ τι κερδᾶναι. πανταχόθεν γὰρ ὠφελεῖσθαι τοῖς ἐμοὶ ξυνοῦσιν ἐξουσίαν ἔγωγε παρέχω. Καὶ ὁ 26
Ἡρακλῆς ἀκούσας ταῦτα, Ὦ γύναι, ἔφη, ὄνομα δέ σοι τί ἐστιν; Ἡ δέ, οἱ μὲν ἐμοὶ φίλοι, ἔφη, καλοῦσί με Εὐδαιμονίαν, οἱ δὲ μισοῦντες ὑποκορίζόμενοι ὀνο-

 μάζου-

ἐργάζωνται] Iunt. et Paris. ἐργάζονται, male.

§. 26. ὑποκορίζόμενοι] Neglexit Bessario interpres. Z. Quomodo ὑποκορισμὸς sit in Κακίᾳ pro Ἡδονῇ, dubitari potest. Cl. Reiskius negat hunc esse ὑποκορισμὸν, quo inclinant etiam V. V. Cl. Ruhnkenius et Valkenarius ap. Piersonum ad Moerin p. 381 quorum ille ὑποκορίζόμενοι transponit ad Φίλους, hic delet, et e margine, in quo primae sententiae adscriptum fuerit, in textum alieno loco irrepsisse putat. Neutra κρίσις nos delectat: non illa, quia Voluptas stulte factura erat, si Εὐδαιμονίας nomen sibi per ὑποκορισμὸν tribui diceret: non haec, quod antiquitas lectionis satis firmatur Suidae et Etymologi testimoniis, qui διασύρειν interpretantur. Sane vulgo ὑποκορισμὸς est de rebus tristibus ac deterioribus, quarum tristitia aut foeditas mitigatur verbi bonitate; nec hoc testimoniis indiget. At ὑποκορίζεσθαι etiam dictum in contrario, vt *res bona verbo torqueretur ad invidiam, contemtum* etc. Bonus, vt opinor, auctor est Aristot. Rhet. III, qui ὑποκορισμὸν dicit, ὃς ἔλαττον ποιεῖ καὶ τὸ κακὸν καὶ τὸ ἀγαθὸν etc. vbi videndus P. Victorius p. m. 569. Similiter ironia, quae vulgo vtitur verbo bono, vt intelligatur contrarium, etiam malo vtitur, vt intelligatur contrarium. Aquila de Figuris n. 7. Toupius autem Animadv. ad Suid. (p. 524, ed. Lipsi.) addit μὴ. Stulta vtique Voluptas sit, si hoc dicat ipsa. *Ern.*

Cum infantibus dum colloquimur, rerum omnium nomina forma diminutiua efferre solemus, veluti ἱππάριον, πατρίδιον et similia, vt recte animaduertit *Timaeus* in Glossis Platonicis. Haec est prima fere verbi notio. Forte morem etiam eum, quem seruamus in loquendo cum infantibus, vt sermonem eorum balbutiendo et litteras duriores euitando imitemur, graeci dixerunt ὑποκορίζεσθαι. Fiunt haec omnia, vt infantibus blandiamur. Si quis igitur pater pueri sui naeuum aut aliquod corporis vitium honestiore nomine aut similitudine appellatum occultauerit, hoc idem graece ὑποκορίζεσθαι dicunt. Item si pueri puellaeue amatae naeuum aliquem aut vitium honesto vocabulo significando abscondere studemus; quod inter amicos vt faciamus, etiam suadet Horatius Serm. I, 3. Cf. Plato de Republ. V. cuius locum expressit Lucretius IV, 1154 et Plutarchus de Discrimine Adulatoris §. 139 et 146.

Hoc igitur verbum fit a voce κόρος, κόρη, puer, puella. Contra diuersum est ἐπικορίζειν apud Aristotelem H. A. IX, 8 vbi mores perdices domestici dicuntur mores agrestes saepe ἐπικορίζειν et ὑβρίζειν, vbi Thomae versio molestare interpretatur. Fit scilicet a κόρρη s. κόρση verbum, et debebat potius scribi ἐπικορρίζειν, quasi ἐπὶ κόρρης παταγεῖν, caput seu malas pulsare.

Aristotelis locum male interpretatur Ernesti, vt monuit etiam nuper